

dem habitu tantum. Sac. cong. 12 Febr. 1622, apud Pignatell, tom. IX, conclus. 81, n. 141; v. *Annotation.* hic infra.

(64. Neque seminario uniri possunt beneficia regularia, sive dentur in titulum, sive in commendam, secus tamen si statum mutaverint. Sic sac. cong., in *Caputaquen.* 26 Julii 1586, apud Sellium, loco cit., n. 23; Barbos., loco cit., n. 39; Ventriglia, loco cit., n. 45.

(65. Neque seminario uniri possunt abbatiae, prioratus et monasteria consistorialia seu beneficia quovis modo Apostolica auctoritate commendata et obtenta, seu obtinenda per S. R. E. cardinales seu veros et proprios Papae familiares, nuntios Apostolicos et secretarios congregationum, quibus iidem S. R. E. cardinales intersunt. Sic expresse Benedict. XIII, in cit. constit. incip. *Credita*, § 5.

(66. Nec valet unio facta seminario omnium beneficiorum simplicium. Sic decisum fuisse referunt Molfes., *Summa theol. moral.*, tract. 6, cap. 14, n. 63; et Barbos., ad *Tridentin.*, cit. cap. 18, n. 35, et alii.

(67. Episcopus singulis annis, praesentibus quatuor deputatis tenetur exigere rationem reddituum seminarii ab administratoribus: sic expresse statuit concil. *Trid.*, cap. 18, ibi: « Rationem autem reddituum hujus seminarii episcopus annis singulis accipiat praesentibus duobus a capitulo, et totidem a clero civitatis deputatis. »

(68. Bona stabilia seminarii non possunt ultra triennium locari; nec eadem bona cum aliis bonis in evidentem Ecclesiae utilitatem permutari: (69. Nec sterilia et inculca in emphyteusim ad tertiam generationem concedi sine beneplacito Apostolico. Sacra cong. Concil., in *Vercellen.* 19 Febr. 1623, et in *Salutarum* 20 Septembr. 1642, in respons. ad 2, ubi cum quaeretur an bona stabilia seminario in haereditate relicta, postquam fuerint ei incorporata, possint alienari, inconsulto Romano Pontifice pro solutione aeris alicui ab ipsa haereditate debiti absque incursu poenarum? *Censuit, non posse alienari.* Sic cardin. Petra, *Comment. ad constitut. 5 Urbani II*, sect. 3, n. 28.

(70. Hinc seminarium auctoritate episcopi erectum gaudet immunitate ecclesiastica, ita ut reus ad illud confugiens non possit extrahi. *Communis.* Et ita seminarium est immune a tributis et aliis saecularibus muneribus extraordinariis; nec gabellarii possunt diminuere rectori ac magistro seminarii consuetam franchitiam farinae. Sac. cong. *Immun.*, in *Salernitana* 1 Novembr. 1693, lib. 1 *Decret.* Vallem., pag. 84.

(71. Seminarii clerici debent in publicis processibus primi incedere ante clerum saecularem, ac relinquere locum digniorem curatis. Sac. congregat. Rit., in *Capuana* 1637, et in *Adrien. Rodigii* 22 Mart. 1620.

(72. Seminarii clerici non praecedunt canonicis Collegiatae. Sac. cong. Rit., in *Fundana* 20 Decembr. 1601.

(73. Seminarium non est membrum Ecclesiae cathedralis, licet in ea clerici semi-

narii officent. S. C. R., in *Capuana* 1 Sept. 1607.

(74. Pro erectione seminarii cogitur quis vendere rem suam, sicuti etiam pro ampliatione domus seminarii. Sic pluries decisum fuisse refert Maranta, part. III, *Controv.*, res. 28, n. 7.

(75. Hinc ad uberiores notitiam juvat adducere varia decreta, prout ad litteram referuntur a Pignatell. tom. IX, consult. 81, a n. 47 ad 148, inclusive. Quamvis tamen varia ex ipsis sint jam supra adducta.

(76. In *Oscensi.* Curare debet episcopus cum consilio duorum canonicorum seniorum, ut pueri seminarii cathedrali, et aliis locis ecclesiasticis diebus festis cum superpelliceis in gradibus inferioribus chori deseruiant.

(77. In *Faventina.* Episcopus pro fabrica seminarii, vel pro instauratione domus seminarii potest taxam exigere, licet adhuc juvenes non sint in illud introducti.

(78. In *Aversana.* Ante erectionem seminarii nihil eo nomine solvendum est.

(79. In *Cremonensi.* Illi duo de capitulo eligendi, postquam fuerint electi, erunt perpetui, nec sine legitima causa amoveri possunt; est autem causa legitima senectus, infirmitas, et similis alia; 5 Sept. 1602.

(80. In *Ravennatensi.* Episcopus, adhibito consilio deputationum, ad regimen seminarii, potest circa illud statuere, quod sibi magis videbitur, etiam moderando statuta in hoc decreto cap. 18, ut colligitur ex verbis ultimis dicti capituli.

(81. In *Oscensi.* Episcopus cum consilio deputationum tenetur providere, tam circa disciplinam et mores clericorum, quam circa administrationem rerum temporalium. Potest autem, eorum consilio adhibito, facere, quod sibi expediens videbitur; exactio vero taxae ad solum episcopum spectat; unde solus absque interventu deputationum compellere potest ad solvendam portionem seminario debitam.

(82. In *Uritana.* De distributionibus quotidianis et incertis nihil seminario solvendum est.

(83. In *Ulyssiponensi.* Antequam fructus taxentur pro rata seminario solvenda, deducendae sunt expensae, quae fiunt in beneficiis.

(84. In *Sorana.* Beneficium, quod non reperitur taxatum in libris decimarum, non contribuit seminario erecto post diem undecimum Julii anni 1567.

(85. In *Burgensi.* Regulares ad seminarium non tenentur, nisi habeant beneficia unita suis monasteriis, quo casu contribuere debent pro eorum rata.

(86. In *Ulyssiponensi.* In solutione taxae pro seminario debent pro rata detrahi expensae, quae fiunt in colligendis fructibus, ac onera posita ante collegium.

(87. In *Uritana.* Quando fructus omnes consistunt in distributionibus quotidianis, quae dari solent divinis interessentibus tantum, non tenetur capitulum ad contributionem seminarii.

(88. In *Melphitana.* Quando abbatia, sive aliud beneficium, est nullius diocesis, solvitur seminario illius diocesis, in qua alias dicta abbatia sive beneficium erat constituta; si vero ecclesia stet in una diocesi, et bona ejus in altera, contributio fieri debet episcopo loci, ubi est ecclesia, nisi bona in altera diocesi existentia sint propinqua alicui ecclesiae ibi constitutae, quae tanquam membrum subjecta esset ecclesiae parochiali, aut eidem unitae. Quo casu contributio fieri debet, ubi sunt bona. Quod etiam declarandum est in ecclesia unita aut subjecta, si constructa fuerit ante acquisitionem ipsorum bonorum; quod si constet bona fuisse prius applicata ecclesiae parochiali, licet postea ibi alia ecclesia edificata fuerit, contributio fit episcopo Ecclesiae parochialis.

(89. In *Tudertina.* Hospitalia ad contributionem seminarii non tenentur, neque etiam confraternitates laicorum, nisi habeant unita beneficia, quo casu contribuere debent.

(90. In *Ulyssiponensi.* Monasteria in quibus seminarium actu non est, sed tamen contribuunt alteri monasterio pro sustentatione scholarium, censentur ac si scholares habeant; propterea non tenentur ad contributionem, nisi de redditibus, qui supersunt.

(91. In *Mediolanensi.* Canonici electi ab episcopo ad constituendam educationem puerorum mutari non debent, nisi, ut supra, et eorum consilium episcopi tenentur adhibere, sed non tenentur sequi; et adhibendum est in omnibus infrascriptis.

(92. In constituendis regulis universalibus seminarii.

In electione singulorum introducendorum.

In electione librorum legendorum.

In punitione discolorum.

In visitationibus.

In electione loci.

In electione magistrorum.

In electione confessoris.

In eorumdem expulsionem.

(93. Alii quatuor adhibendi sunt deputati in consilio circa taxationem fructuum contributionis.

Circa unionem beneficiorum.

In difficultatibus, ob quas seminarii instructio, vel conservatio impediretur, aut perturbaretur.

In omni temporali administratione seminarii.

In expulsionem et deputationem ministrorum seminarii.

In expensis quotidianis.

In provisionibus bladarum.

(94. In administrationem bonorum quorumcunque, ac reddituum ipsius. Non autem etiam in iis episcopus tenetur sequi eorumdem consilium, sed, ut supra, solummodo adhibere.

(95. In *Antuerpiensi.* In monasteriis, in quibus habentur magistri salario conducti pro docendis monachis, eadem ratio est habenda de istis expensis, quae de illis scho-

larium, seu discentium monachorum habentur.

(96. In *Bracarensi.* Milites Hierosolymitani, qui habent beneficia sibi commendata alterius ordinis vel qualitatis, tenentur ad contributionem seminarii ratione hujusmodi beneficiorum cum exceptio non respiciat personas, sed tantum beneficia ordinis Hierosolymitani.

(97. In *Patavina.* Si ignoratur cujus naturae sint beneficia ecclesiastica monasteriis unita, vel alias exempta, seminario contribuere debent; et hoc procedit in monasteriis, quae non sunt Mendicantium; nam in istis monasteriis, quae possident bona immobilia, onus probandi ea esse per unionem acquisita, in episcopum transfertur, quo non probante, ea bona erunt exempta.

(98. In *Imolensi.* Simplicia beneficia ad collationem inferioris collatoris spectantia, episcopus unire non potest, nec etiam beneficia regularia, nec beneficia jurispatronatus ecclesiastici, nec canonicatus.

(99. In *Gandavensi.* De beneficiis unitis vigore hujus decreti superfluum est petere confirmationem a Sede Apostolica.

(100. In *Cameracensi.* Sicut beneficia ante vacationem seminario uniri possunt valide, ita nulla erit unio facta post vacationem de beneficio reservato.

(101. In *Aquilana.* Episcopus, qui in suis mensibus beneficia vacantia non univit, in mensibus reservatis unire potest.

(102. In *Marsicana.* Contra recusantes solvere taxam seminario potest episcopus procedere usque ad interdictum, et alia graviora juris remedia.

(103. In *Brundusina.* Si episcopus duabus civitatibus praesent, in utraque erigetur seminarium, et si redditus non sufficiunt, conducantur magistri.

(104. In *Melphitana.* In ecclesia, ubi sunt adeo tenues redditus, ut seminarium erigi non possit, provideatur saltem expensis beneficia obtinentium de duobus magistris, altero grammaticae et altero musicae, a quibus instruantur pauperes pueri civitatis et diocesis, in eorumque sumptus totus clerus contribuatur, perinde ac si contribueret ad seminarium formatum.

(105. Pars, quae ratione seminarii est detrahenda, ad decimam integram fuit taxata, si seminarium fuit erectum ante diem undecimum Julii 1567. Nam in seminariis postea erectis dicendum est, ut infra.

(106. Quicumque vero episcopus ante diem undecimum reipsa seminarium erexit, et servata forma concilii certam taxam stabilivit, eamque a majori parte taxatorum exigere ceperit, seu illi sponte, seu ex contentione aut metu solverint, dummodo in hac quasi possessione sit exigendi, eaque taxa sic exacta in usum seminarii versa sit, et quotidie vertatur, in exactione hujusmodi perseveret, et omnes, qui distulerint solvere, cogere poterit juris remediis.

(107. Sacra congregatio Concilii tum alias, tum in *Sabinensi* 26 Maii 1640, declaravit archipresbyterum et canonicos collegiatae

ecclesie Montis Rotundi teneri contribuere seminario, non tamen pro portione, quæ cedit in usum quotidianarum distributionum, nec pro legatis piis pro celebratione missarum relictis, prout neque incertis et eleemosynis sacerdotibus elargitis, sed tantum ex illis redditibus certis constitutis, etiamsi proveniant a legatis piis, ut legitur lib. XVI *Decret.*, fol. 380.

(108. *In Lucana* 19 Novembris 1616. Seminarium deputati, alique officiales habent votum consultivum, non autem decisivum.

(109. *In Fundana* 20 Decembris 1601. Clerici seminarium non præcedunt canonicis collegiatis. Sacra congreg. Rituum.

(110. *In Adriensi* 21 Martii 1620. Clerici seminarium in processibus præcedunt aliis clericis. Eadem sacra Rit. Congr.

(111. *In Capuana* 1 Sept. 1620. Clerici seminarium debent in publicis processibus primi incedere ante clerum sæcularem, et relinquere locum digniorem curatis. Eadem sacra Rit. Congr.

(112. *In eadem, eademque die, et anno* Seminarium non est membrum Ecclesie cathedralis, licet in ea clerici seminarium officiant. Eadem sacra Rit. Congr.

(113. *In Vercellensi*. Seminarium bona stabilia non licet ad novennium locare, nec eadem bona cum aliis bonis in evidentem Ecclesie utilitatem permutari, nec sterilia, et inculta in emphyteusim ad tertiam generationem concedere. Sacra congreg. Concil. 19 Febr. 1633, ad 3, 4 et 5.

(114. Seminarium a contributione nemo est exemptus, nisi qui nominatim a concilio excipiuntur. Sacra congreg. Concil. 11 Januar. 1601.

(115. Seminarium contributio anticipata solvenda est de quadrimestre in quadrimestre. Sacra congreg. super Episc. 8 Martii 1688.

(116. Seminario contribuere tenentur ecclesie sæculares, quæ non sunt de mensa monasteriorum, tametsi ad eorum institutionem et collationem pertineant. *In Caputaquensi*, sacra congreg. Conc. 23 Junii 1589, et 4 Februar. 1594.

(117. *In Caputaquensi* 5 Februar. 1593. Seminario contribuere tenentur beneficiati beneficiorum collationis monachorum, si intra fines diocesis sunt. Sacra congreg. Conc.

(118. *In Lucana* 5 Julii 1628. Seminarium occasione potest taxa pro pensionibus detrahi et exigi a titularibus, dummodo specialiter non sint exemptæ, qui titulares retinebunt pro rata soluta.

(119. Titularis, occasione contributionis per eundem factæ seminario, non potest detrudere ex pensione, quam solvit, nisi pro rata illius, et ad eam rationem, qua ipse titularis contribuit. Sacra congreg. Concil.

(120. A contributione seminarium sunt exempti clerici cameræ Apostolicæ ratione beneficiorum, quæ obtinent. Sacra congreg. super Episc., *in Maceratesi* 12 Maii 1604.

(121. Seminario ad contribuendum cogi non debet abbas, qui in suo territorio et jurisdictione prius seminario exererat, et

provisum retinebat. Sacra congreg. Conc. 30 Mart. 1594.

(122. *In Lucana* 17 Februar. 1629. Seminario contribuere non tenetur abbatia unita capitulo cathedralis ante concilium. Sacra congreg. Concilii.

(123. *In Augustana* 14 Decemb. 1630. Ad contributionem seminarium non tenentur, neque compelli possunt fratres S. Joannis Hierosolymitani, sive eorum vicarii in ecclesiis parochialibus religioni prædictæ unitis, vel ab ea dependentibus. Sacra congreg. Concil.

(124. Legata, ut conducatur grammaticus, qui pauperes instruat pueros, applicari possunt seminario. Sacra congreg. Conc.

(125. Episcopus debet primum de sua et capituli mensa contribuere, et postea alios cogere. Sacra congreg. Concil.

(126. Cardinales debent contribuere de fructibus beneficiorum in diocesi, ubi est seminario. Sacra congreg. Conc.

(127. Non sunt magis gravanda beneficia simplicia, et pensiones, quam curata. Sacra congreg. super Episc. 27 Octobris 1603.

(128. Uniones beneficiorum factæ seminario non subsistunt nisi post illius erectionem et actualem educationem puerorum. Sacra congreg. Conc., apud Gonzal. gloss. 5, § 7, num. 68.

(129. Emptio domus, aut electio deputatorum non est erectio seminarium. Rota 15 Aprilis 1622.

(130. Uniones factæ absque consilio quatuor deputatorum non valent. Sacra congreg. Concil. 13 Januar. 1549.

(131. Cogi possunt ad solvendum prædictos redditus per censuras ecclesiasticas, et alia juris remedia ab episcopo, non obstantibus quibuscunque. *Trident.*, d. c. 18.

(132. Seminario erigi non potest in ædibus canonicalibus, nisi de consensu canonicorum, et ita separatim, ut presbyteri vel clerici nullam communicationem habeant cum seminaristis. *In Mutinensi* 3 Februar. 1604.

(133. Recipi non possunt in seminario clerici sine licentia ordinarii. *In Salernitana* 10 Julii 1590.

(134. Licet episcopus nihil contribueret pro manutentione seminarium, non potest propterea seminario prætere aliquid exemptionem ab ejus jurisdictione. *In Aquileiensi* 27 Januarii 1597.

(135. Taxa quatuor pro centenariis super beneficiis approbatur. *In Agrigentina* 25 Februarii 1602.

(136. Quæ si non sufficiat pro tenendo saltem magistro grammaticæ, et cantus Gregoriani, cum domo et aliis necessariis, non debet augeri. *In Recanatensi* 25 Jun. 1597.

(137. Capitulum et canonici, licet exempti sint ab episcopi jurisdictione, compelli tamen ab eo possunt ad solvendam eorum ratam. 29 Novemb. 1604.

(138. Nisi redditus omnes consistant in distributionibus quotidianis. *In Tarentina* 24 Jul. 1595

(139. Nullius etiam loca contribuere debent, si proprium seminario non habent. *In Caputaquensi* 2 Maii 1601.

(140. Quemadmodum subditis abbatibus monasterii Cavensis seminario *Caputaquensi* 3 Aprilis 1608. Nisi tamen beneficia sint unita, vel de mensa monasterii per privilegium S. Pii V; donec autem hoc probetur, seminario manutendum esse in quasi possessione exigendi.

(141. Regulares etiam contribuere tenentur. *In Casinatensi* 2 Maii 1601.

(142. Nisi sint exempti per privilegium speciale, ut Carthusiani 12 Maii 1587.

(143. Et prioratu, S. Spiritus, 6 Sept. 1603. Vel nisi vivant de eleemosynis, *ibid.* Provisi de beneficiis seminario unitis, unione effectuada, cum primum vacaverint, cogi non possunt ad contributionem. 1 Octob. 1599.

(144. Neque confraternitates et alia loca pia, quæ non habent beneficia annexa. 23 Jan. 1586 et 10 Jan. 1594, et 25 Febr. 1602.

(145. Neque hospitalia, quæ non conferuntur in titulum, *ut supra.*

(146. Neque monasteria monialium, nisi ratione beneficiorum unitorum vel bonorum subjeutorum aliis oneribus episcopalibus. 22 Decemb. 1583 et 26 Jul. 1593.

(147. Vel nisi essent solita; quia tunc omnes supradicti cogi debent, licet vellent renuntiare privilegio tenendi alumnus in eodem seminario. 20 Jul. 1620.

(148. Capitulum S. Petri in Vaticano non tenetur ad aliam contributionem pro beneficiis ipsi unitis in aliis diocesis, quia contribuit pro omnibus seminario Romano. Sacra congreg. super Episc., *in Caputaquensi*, 1594.

(149. Uniri non possunt seminario per ordinariis beneficia curata, sed simplicia tantum, et eorum supportatis oneribus. 15 Maii 1580.

(150. Neque canonicatus etiam collegiatis, licet non sint amplius de residentia. 27 Mart. 1590.

(151. Scholasteria in locis, ubi non est seminario, non est necessario conferenda doctoribus vel magistris, aut licentiatibus in sacra Scriptura, vel jure canonico, quia concilium d. cap. 18, § *De cætero*, loquitur, ut cum minori impensa possint docere in seminaribus per seipsos. *In Calaguritana* 5 Maii 1610.

(152. Ludimagistri universitatis non tenentur docere pueros seminarium, nisi ad publicas scholas accedant. *Civitat. Plebis* 11 Dec. 1610.

(153. Verba illa: « In quibus seminaria discentium, vel docentium actu non habentur, » intelliguntur de clericis sæcularibus, ubi seminario erigitur, licet in loco adsit studium regularium. Nec ratione hujus studii conventus prætere se potest exemptum a contributione.

(154. Illegitimi non possunt ab episcopo admitti in seminario, licet sint dispensati ad canonicatus, et dignitates. 13 Martii 1599.

(155. Circa taxam adest decretum S. Pii V, quod episcopus, qui ante undecimam diem Julii 1567, seminario re ipsa non erexit, quodcumque illud erigere constituerit, ab ipsa reali erectione nihil ejus nomine ultra dimidiam decimam relatum ad antiquam taxam exigat, et si quid amplius exegerit, vel restituat, vel ab eo compensetur, quod in posterum post ipsam erectionem ad eam rationem exigendum erit, nisi tamen appareat, totum illud, quod amplius exactum erit, jam fuisse vere conversum in præparamenta necessaria, aut aliam similem operam seminarium.

(156. Vel nisi episcopus esset in quasi possessione exigendi majorem taxam impositam a concilio provinciali. Sacra congreg. Conc., *in Surrentina*. Quæ in *Manteran*. concessit posse taxari in plus dimidia decima.

(157. Alias, si non potest erigere seminario formale, debet erigere scholam, *in Marsicana*. Et pro hujusmodi schola permittitur dimidium taxæ, quæ solveretur seminario. 18 Nov. 1587.

(158. Simili modo potest episcopus cogere capitulum et alios ad contributionem pro magistro musicæ, dummodo et ipse contribuat pro rata. *In Adriensi*.

(159. Circa hujusmodi scholam notandum quod, cum plures episcopi, qui seminario erigere minime poterant, scholam instituisent ac certam portionem ex beneficiis propterea detraxissent, animadversum fuit in congregatione Concilii, quod hujusmodi facultas tributa erat episcopis a concilio, cum non posset institui lectio theologiæ, non autem cum non posset institui seminario, ut habetur cap. 1, sess. v, vers. *Ecclesie*; ideoque congregatio jussit, ea de re agi cum sanctissimo, ad quem cum D. cardinalis Matthæus die 16 Februarii 1598, in consistorio retulisset, Sanctitas Sua mandavit, has beneficiorum taxationes de cætero pro schola in alio casu, quam in eo, de quo concilium loquitur, non esse permittendas, sed hactenus institutas confirmavit.

(160. Ex redditibus parochiarum, quæ apud Indos doctrinæ vocantur, fit contributio seminario, deducta congrua parochiarum sustentatione. Sacra congreg. Conc. 7 Septemb. 1603, *cor. Clemente VIII*.

(161. Pensionarii, etiam regulares, tenentur contribuere seminario. 17 Aug. 1652.

(162. Et notandum pensionarios ante concilium teneri contribuere indistincte: si vero pensio reservata fuerit post concilium, ita demum pensionarios ad contributionem teneri, si per Sedem Apostolicam a tali contributione non fuerint exempti; verum etiam in casu, quo pensionarii contribuere tenentur, beneficiorum possessores ab episcopo debere compelli ad solvendam portionem taxatam non solum pro se, sed etiam pro pensionibus, quas solvunt. Licet tamen postea ita solventibus retinere pro rata quidquid pro pensionibus ipsis solverunt. *In Tridentina*.

(163. Tenetur autem pensionarius contribuere episcopo seminarium, ubi situm est

beneficium, non ubi habitat ipse pensionarius, licet sit perpetuus, et persona ficta, ut capitulum, sacrum, etc.

(164. Seminarium non est erigendum super mendicitate. Cong. Propag., 1627.

(165. Beneficium unitum seminario alterius diœcesis tenetur nihilominus contribuere seminario propriæ, quod ante unionem contribuere consueverat. In Cremonensi 16 Jul. 1588, congr. Concil.

(166. Eadem tamen congr. Conc. 2 Febr., 1606, declaravit, quod beneficium fundatum a patrono certa lege de consensu episcopi apposita, ut ad nulla onera teneatur, dummodo fundatio post concilium facta fuerit, non tenetur contribuere seminario. Multo minus, si id etiam expresse caveatur in fundatione, ut neque ad seminarium contribuere debeat.

(167. Illa beneficia, quæ ob tenuitatem decimis Papalibus non contribuunt, neque seminario contribuere teneri. S. cong. Conc. 21 Mart. 1602 et 23 Mart. 1604.

(168. Ex fabricarum redditibus, si ecclesiasticæ sunt, contribuendum est seminario, quamvis a laicis administrantur. Cong. Conc.

(169. Beneficia cameralium, licet simplicia, non possunt uniri seminario. In Murana.

(170. Ordinarius non potest unire seminario beneficia curata, nequidem habitu tantum. Cong. Conc., 12 Febr. 1622.

(171. Capellanas vero, quæ celebrandi missas onus habent et in titulum dantur, unire potest seminario, modo oneri inuncto satisfiat. Eadem sacr. congr.

(172. Unio facta seminario non erecto ad formam conc. ut si pueri non vivant simul, nulla est. In Pisaurensi, arg. c. Ad audientiam 2, De eccles. adif.

(173. Unio beneficiorum alioqui legitime facta non impeditur, aut suspenditur per resignationem, etiamsi in curia suum effectum sortita sit, et in favorem tertii. In Bellunen. Quod intelligendum est cum vacaverit. Quia per resignationem in favorem tertii non dicitur proprie vacare beneficium; et sic si beneficium non vacans uniatur vigore concilii, d. c. 18, et postea resignetur in favorem tertii, ac resignatio admittatur, unio pro illa vice suspenditur, ut in Hostunensi superius adducta, 23 Februar. 1581. Maxime quia in litteris resignationis inseri solet illa clausula: « Cum suspensione omnium, et quarumcunque unionum. » 19 Junii 1608, in Bellunen.

(174. Regula de triennali non impedit unionem seminario legitime factam, in eadem.

(175. Si episcopus prædecessor beneficium simplex, non servata forma concilii, ac per consequens nulliter, seminario univit, non potest successor illud eidem seminario valide unire servata forma concilii. Quia concilium non videtur dare facultatem uniendi beneficia devoluta. 16 Junii 1599.

(176. Neque potest unire beneficia regularia. In Hispalensi.

(177. Sac. concilium d. c. 19, non prohibet transferri pensiones super beneficiis seminario unitis. Cong. conc., in Aesina 26 Apr. 1602.

(178. Supradicta autem decreta, et omnia supra exposita moderanda sunt et intelligenda juxta novissimam constitutionem Benedicti XIII, inc. Creditæ. (179. Quæ constitutio, cum sit modo attendenda tanquam regula in iis, quæ ad seminaria spectant, ad litteram hic pro omnium commodo subnectitur.

Constitutio, qua locorum ordinariis Italiæ, insularumque adjacentium districte mandatur, ut seminariorum erectionem sedulo promoveant, eorumque honestæ sustentationi provideant taxam, et subsidia respective unione beneficiorum juxta modum a sacro Tridentino concilio præscriptum; ac insuper nova instituitur congregatio seminariorum nuncupanda, quæ recto illorum regimini, et administrationi præsideat cum aliis ordinationibus, et clausulis, ac derogationibus opportunis.

« BENEDICTUS, episcopus, etc.

« Creditæ Nobis cœlitus dispensationis officium salubriter exsequi, adjuvante Domino, satagentes, ad ea mentem, curasque Nostras libenter convertimus, per quæ sedulæ clericorum institutioni opportune prospicitur. Ubi enim illi a teneris annis, seu plantæ novellæ benigniori cultura educuntur, litterarumque scientia in seminariis accurate informantur, cum postea ad laboriosa ecclesiastica ministeria in viam Dominicam transplantantur, Ecclesiarum regimini populorumque saluti maxime fructuosos ac utiles esse diuturna plurimorum annorum experientia satis compertum habemus.

§ 1. « Cum itaque seminarii ecclesiastici erectio a sacra Tridentina synodo c. 18, sess. xxiii, De reformat., episcopis omnibus tantopere commendata, et ad ecclesiasticam disciplinam conservandam adeo necessaria, in pluribus cathedralibus ecclesiis, quemadmodum non sine gravi animi nostri mœrore accepimus, hucusque neglecta fuerit; Nos pro pastoralis vigilantia nostræ debiti pium hoc et sanctum opus strenue promoveri cupientes; motu proprio, et certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, universis et singulis locorum Ordinariis Italiæ, insularumque adjacentium has Nostræ perpetuo valitura constitutione districte injungimus, præcipimus et mandamus, ut in cathedralibus, in quibus seminarium hactenus erectum non fuit, illud quamprimum erigi, ac omnino institui curent. Ubi vero jam reperitur erectum, sed congruis redditibus ad alumnorum magistrorumque sustentationem necessariis instructum non est, de iis, ut infra, opportune provideant. Utrouque igitur casu, nimirum tam pro erectione novi seminarii, quam pro supplemento reddituum seminarii jam erecti, taxam cum consilio duorum de capitulo et totidem de clero con-

ficiant a memorato Tridentino concilio cap. 18, sess. xxiii, De reformat., præscriptam, incipiendo ab integris fructibus mensæ episcopalis, et absque ullo discrimine proseguendo juxta normam ibidem expressam, et provide constitutam. Eidem vero taxæ omnia et singula beneficia sæcularia et regularia per quoscunque etiam venerabiles fratres Nostros S. R. E. cardinales, nec non Nostros, et pro tempore existentis Romani Pontificis familiares, et cameræ nostræ Apostolicæ clericos, ministros, ac officiales quoscunque præsentis et futuros obtenta, et in posterum obtinenda, ac omnia iusuper beneficia sæcularia prioratibus, commendis vel bajulvatibus ordinis Fratrum Sancti Joannis Hierosolymitani quomodocunque unita, aut de cætero unienda, nec non fructus, ac redditus confraternitatum laicorum, ex certis fundis et capitalibus provenientes (non autem summas pecuniarias, quæ a confratribus quolibet mense, vel anno vel per modum elemosynæ, vel in vim statutorum contribuuntur) subjici, et ad illius solutionem perpetuo teneri decernimus, statuimus et mandamus. Declarantes ab ea exemptos esse debere regulares pro iis tantum beneficiis, vel fructibus, quorum ratione ipsis Apostolica Sedes diserte ac expresse, et ex causa vere, ac proprie onerosa indulsit, ut ab onere taxæ pro seminario exempti sint.

§ 2. « Porro ejusmodi taxa juxta locorum qualitatem responderi debeat summæ scutorum trium pro quolibet centenariio proventuum beneficiorum: et si necessitas urgeat, augeatur etiam usque ad summam quinque pro centenariio, ita ut nunquam minor scutis tribus, neque major sit scutis quinque pro quolibet centenariio et anno, ac in illius confectione regula a Tridentino concilio in prædicto cap. 18, sancita accurate, et ad amissim observetur. Donec autem nova hæc taxa confecta, et a congregatione a nobis deputata, ut infra dicitur, approbata fuerit, alia taxa, quam seminarium antea exigere consueverat, omnino persolvatur. Cæterum novæ taxæ exactio semper committatur personæ fide et facultatibus idoneæ ab episcopo et cathedralis Ecclesiæ capitulo specialiter approbandæ ac deputandæ, ita quidem, ut quoties exactor hujusmodi negligens, aut minus idoneus repertus fuerit, illius culpam idem episcopus, et capitulum præstare debeant, et pro non exactis atque deperditis respective de proprio teneantur, liceatque seminario, tam contra exactores, quam contra deputantes, eorumque hæredes quocunque tempore agere, nedum pro deperditis, sed etiam pro non exactis ad præcisam taxæ faciendæ normam et quantitatem.

§ 3. « Præterea episcopi et capitula portiones, seu quotas sibi obtingentes juxta præfatam taxam quolibet anno realiter, et cum effectu deponere teneantur penes exactorem deputatum, qui eas solvat seu erogat in sumptus pro seminarii manutentione necessarios, et tam hujus depositi, quam suc-

cessive solutionis seu erogationis, simulque cujuslibet alterius exactionis non factæ, et qua de causa documentum per eosdem episcopos, et capitula ad antedictæ congregationis secretarium quotannis transmittatur.

§ 4. « Quod si in aliqua diœcesi, computatis propriis seminarii redditibus, si qui sint, nec non beneficiorum antea cum effectu illi unitorum, ac fructibus parvorum conventuum suppressorum præcedenter applicatis (quas quidem tum beneficiorum uniones, tum applicationes fructuum parvorum conventuum firmas esse volumus) per hujusmodi etiam taxam erectioni et sustentationi seminarii ad necessitatem nimirum uniuscujusque diœcesis et alumnorum, non autem ad pompam et voluptatem sufficienter provideri nequiverit, tunc et eo casu, ac in subsidium tantum, ordinarii locorum eidem seminario unire et applicare possint ac debeant beneficia simplicia cujuscunque qualitatis et dignitatis fuerint, etiam juris patronatus ecclesiastici, vel quomodocunque affecta, et dispositioni Sedis Apostolicæ reservata, sine tamen ullo divini cultus, ac illa obtinentium præjudicio. Hæc porro unio fiat statim, et ante eorumdem beneficiorum vacationem, nempe uniantur beneficia primo loco vacatura usque ad certam annui redditus quantitatem in ipsa unione specificandam, quæ computata taxa insufficienti, satis esse possit sustentationi certi numeri alumnorum pro unoquoque seminario designatorum, ipsaque unio, statim ac beneficia prædicta quomodocunque vacaverint, debitum, atque integrum, sortiatur effectum, fel. rec. Clementis VIII, ac Urbani pariter VIII, nec non aliorum quorumcunque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutionibus vel decretis in contrarium facientibus non obstantibus.

§ 5. « Cæterum considerantes, monasteria, prioratus et beneficia consistorialia, nec non aliqua alia indispensabiliter necessaria esse, ac fore pro congrua sustentatione S. R. E. cardinalium et ministrorum Romano Pontifici, et Sedi Apostolicæ actualiter inservientium, volumus et declaramus, quod abbatia, prioratus et monasteria consistorialia, seu beneficia quovis modo Apostolica auctoritate commendata, et ad præsens obtenta, ac in futurum obtinenda per antedictos sacre Romanæ Ecclesiæ cardinales, seu veros et proprios Papæ familiares, nuntios Apostolicos, et prælatos congregationum, quibus iidem S. R. E. cardinales intersunt, secretarios duntaxat, memoratis seminariis uniri et applicari nunquam possint, et uniones, quas forsitan fieri contigerit, nullæ ac irritæ prorsus sint, firma in reliquis remanente libertate et facultate uniendi (servata tamen forma superius expressæ, et non aliter), cætera omnia beneficia, etiam, ut præfertur, affecta et reservata, vel alias ad provisionem ac dispositionem Sedis Apostolicæ quomodolibet pertinentia.

§ 6. « Cum autem, sicut accepimus, seminaria plerisque in locis ideo erecta minime reperiantur, vel quia episcopi taxam confi-